



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Caroli Scribani E Societate Iesv Medicvs Religiosvs De Animorvm Morbis Et Cvrationibvs**

**Scribanius, Carolus**

**Antverpiæ, 1618**

Curiosior inuestigatio imperfectionum Superiorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46194](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46194)

*De 6. Quæ manus, Bonauentura teste, instantia  
alis e. 5. sunt in agendo, & patientia in sufferendo quod  
grauat. quæ si non dissoluantur per desidiam seu  
intolerantiam, merces æterna ei cumulabitur.*

† *Referendum hoc caput ad librum secundum,  
post caput 2. folio 172.*

*Curiosior inuestigatio imperfectionum  
Superiorum.*

**Q**UÆ res magnam animi inquietudi-  
nem ingenerat, ingentium turba-  
rum causa; cùm curiosior hæc inuestiga-  
tio, tanquam validis aduersantibusque  
uentis, mentis malaciam ac tranquillita-  
tem euertat, perpetuisque quibusdam fla-  
tibus fluctibusque serenitatem turbet, ac  
è sede sua depellat. neque enim stare in il-  
la mente tranquillitas potest, quæ peren-  
nibus iactatur motibus, curiosioreque in-  
uestigatione continua iactatione concuti-  
tur. vt taceam contemptum paullatim Su-  
periorum nasci. Neque enim fieri potest,  
quin aliqua nonnunquam minùs per om-  
nia laudanda, quædam fors etiam dam-  
nanda solers disquisitio, ingeniosa semper  
in

in malum, repertura sit. neque enim adeò numeris omnibus quemquam absolutum reperias, quin aliquid emendandum deprehendas. vt nulla fuerit ætas, quæ non in maximis etiam viris aliquid semper putauerit ignoscendum, tanquam in medio die pertenuem subterlabentem soli vaporem quinec illius repercutiat radios, nec lumē obnubilet. Nam illam omnium perfectionum accuratorem quæ nullam veniam mereatur, nulloque næuo aut puluere aspersa sit, vouere possumus, sperare prudenter homines non possumus, & alterius illa, non huius vitæ exempla sunt.

Iam ita ferè natura comparatum est, vt cum è curiosiore indagatione, in intima Superiorum adyta assidui scrutatores deuenimus; plus possint ad contemptum modica vitia, quam magnæ ad venerationem virtutes: cum ferè deterrima quæque fortiùs oculos repercutiant, altiùsque in animum dimittantur.

Ac primò, aliquid antè conceptæ venerationis deponimus, inde augustissimè priùs laudata, tenuiter ac quasi per capillum tangimus: ad aliorum exinde laudes silentio mentem prodimus, damnamus denique, & in apertas prorumpimus detractiones. ita non contenti sumus improbanda

banda vidisse, spargimus, adeoque sub lingua calami que crescunt vitia, & in elephantem culices abeunt, in gigantes exurgunt pygmei. Vnde fit vt omnis Superiorum auctoritas corruat, & pro veneratione contemptus sequatur, pro obsequii studio, quod plurimum opinionibus innititur, obedientie neglectus suboriatur. cumque nihil tam potentes obedientie stimulos addat, quam altè imbibita animo Superiorum veneratio; hanc autem nihil ad eò minuat, atque curiosior abditissimarum imperfectionum perscrutatio; fit vt hac vna obedientie nerui penitus secentur, vtque sua iam cuique voluntas pro maiorum imperio sit. quod vbi fit, quidquid in Religione summum erat, & obedientie viuentis, in mutuam robur contra procurfantes inimicas acies stringebatur ac firmabatur, dilabitur, & magnum illud Religionis propugnaculum, tanquam disruptis aggeribus, diffluit. Sed neque domesticis hæc parietibus continentur, cum nihil proniùs elabatur, quam si quid imperfectionis in Superiore notatum fuerit: & gloriamur etiam interdum, tanquam solertes vitiorum quæ alios latuerant, reperiatores. præmiumque noxiæ huius indagationis, euulgatio vitiorum est: quæ vniuersa

fa

sæ familiæ quantum damnorum adferat,  
 nemo paullo prudentior non videt. cùm  
 æstimationis famæque in Superiore dimi-  
 nutio, omnia simul metuenda secum tra-  
 hat. Nam vbi quæ latebant, aut magna-  
 rum virtutum umbra vitia tegebantur,  
 produntur, & in omnium ore calamoque  
 incrementa sumunt; nequidquam magna  
 speraueris, cùm opinionibus ferè humana  
 peragantur: quam qui sustulerit, proditor  
 factus secretorum, omnem bene feliciter-  
 que agendæ rei occasionem ademerit;  
 cùm fidem, auctoritatem, venerationem,  
 prosperioris imperij fulcimenta, tanquam  
 vna falce demetat, spemque in his omnem  
 non in herba tantùm, sed in radice præ-  
 scindat.

Huc accedit quædam in Superioribus  
 animorum deiectio ac pusillanimitas. cùm  
 enim minutissima abditissimaque sua so-  
 lisque parietibus nota obseruari studiosius  
 vident, ac in ingentes montes tenuissimas  
 attolli verrucas, virtutes tegi, aut æmula si-  
 mulatione transiri, ingentiaque naturæ ac  
 Dei dona æmulationibus liuoribusque in-  
 sepeliri, minima vitia in immensum supra  
 verum tolli, perque omnium linguas char-  
 tasque spargi, infelicibusque augmentis in-  
 densa nemora, noxiorum zizaniorum mo-  
 re,

re,

re, raros frutices succrescere; cadunt animis, concreditaque sibi domestica externaque negligunt, ac in ignauam quandam, ex alacri accensaque degenerant vitæ rationem, sibi iam ipsis dissimiles: vt prior ille ignis pectoribus clausus, magnarumque cogitationum succentor concreseat in densam glaciem, in Noricum quoddam frigus: & prior illa animorum alacritas, fortes ausus, mentis erectio, generosi pectoris flammæ, in ignobiles delabuntur cineres, in languidum teporem, in vmbas, in fumum, & pro dignissimis posteritate cogitationibus, ingens animi moeror & melancholia succedat, illustriam inimica moliminum, qua quidquid generosioris erat mentis emedullatur, ac tanquam succis ad viuum neruis delumbatur.

Grauiæ hæc sunt, & ad vltima vltimæ desperationis recta via impellentia. è tam tenuibus initijs tam magna, tam Religionibus noxia, tam nulla postmodum arte emendanda. nihil hîc nouum. nam & vulpeculæ paruulæ demoliuntur vineam Dei Sabaoth, & validissimarum fundamenta vrbium non semel à muribus euerfa legimus, etiam à formicis. & tineæ quanta robora exedunt: erugine sanè ferrum exeditur quod ignibus stabat illæsum. ita à minimis

mis maxima corruunt. à molli stillicidio  
 ingentes fatiscunt rupes, à tam lenta mol-  
 litudine Oceani propugnacula & claustra.  
 quis credat, ni res ipsæ loquantur? quare  
 nisi curiosiores hi minutissimorum in Su-  
 periore scrutatores, in robustissimum inci-  
 derint, & Hercule aut Samfone natum  
 pectus, quod aduersantibus indurescat,  
 roboretur, ac seipso fiat maius, quodque in  
 non postrema felicitate ponat, tales nactū  
 se fuisse, ac uēdis viribus cotes; quod deni-  
 que ita mores vitamque omnem compo-  
 fuerit, tanquam in solis inimicorum ocu-  
 lis, ac inter hostilia arma uiueret; omnis  
 omnino magnarum rerum spes funditus  
 euanesceret. Tales uerò quanti sunt? nescio  
 an centesimus quisque contemnat scor-  
 piacas has caudas, viperarum ex insidijs  
 dentes; aut arborum instar aquilonibus  
 hisce firmetur; aut præualidarum rupium  
 more irata hæc contemnat maria, & pro-  
 cursantes fluctus, cogatque interritus iras  
 minasque suas bibere. rara ò nimiū in  
 humanis pectora, chalybe aut adamante  
 nata! cūm plerumque omnes æmulis his  
 obseruationibus, prostratis prolapsisque  
 in solidum viribus, corruant, ac animam  
 etiam mœroribus tanquam torcularibus  
 expressam, per ignaua vestigia ponant. ad-

è nec robore pleni, viridi etiamnum iu-  
uenta, aut ætate & prudentia firmati, his  
optimorum quorumcunque blattis ac ri-  
neis diu resistere possunt, aut stare incolu-  
mes; ac inambusti, integraque fama & pe-  
ctore per calcatas hasce venenarias curio-  
sitates vitam tolerare. eo magis quo cu-  
riosi hi disquisitores plerumque de corde  
& cerebro suo mutantur quod Superiori  
adnectant. premuntur occultis vitijs; iisdem  
teneri Superiorem quia vellent, arbitran-  
tur: innatant abditis animorum imperfe-  
ctionibus; iisdem innatare fluctibus quia  
vellent, putant Superiorem. infelices na-  
tatores socios sibi quia vouent, inuenisse  
credunt: at in nullos magis quam in Supe-  
riores feruntur; excusatione nimirum di-  
gni, si suis vitijs Superiores inuoluerint. Et  
cum non raro quæ præferuidè valideque  
facta vellemus, euenisse credamus; fit vt  
vitia nostra in Superiorum frontibus lega-  
mus. non quòd insepulta illi sint vestibulo,  
sed quòd è nemore nostro decerpta, in  
alienum agrum zizaniorum talium inal-  
suetum, noxia hæc semina transferamus.  
quòd si quæ externa in Superiore licet te-  
nuissima vitiorum quorundam domesti-  
ca nobis signa vidisse in animum induxerim-  
us; à decem passuum millibus damnan-  
da



da euocamus, & è nostro illos ingenio moribusque metimur. quid? quòd frequenter in sinistram omnino partem & alienissimam ab auctoris mente verba resque flectamus. ita in alieno ore, manu, sanguine, vita, fama ludimus, & quidquid vel capillo vitia nostra refert, in testatissimam alienorū vitiorum seriem transcribimus. Grauis omnino res, molestiarumque ac periculorum plenissima, quæ ingentes deposcit animos, ac humanis propè maiores, ac non nisi præualida Dei manu suffultos.

*Remedia.*

**N**on hominem in Superiore vitij obnoxium, sed Dei cuius vices gerit personam intueri. hanc in illo venerari, & hanc solam. Qua in re imitandi sæculi mores. neque enim in regio legato priuata vitia quidquã de veneratione adimunt: cum in hoc non Petrum aut Paulum domesticis vitij inuolutum, sed Regem intueamur, cuius vicarias vices cum obeat, regio illum cultu & obsequijs dignamur.

Hominem illum cogitare, errare posse. neque dignitates vitia minuunt aut tollunt, augent magis & ostentant quæ antè latebant. nam quæ priuata vita tegebat

V V 2            tan-

tanquam abdita aut altè recondita terris  
ea publica omnium oculis prospectanda  
proponit. quin imò ipsa munia amplam vi-  
tiorum materiam suppetunt: & quæ in se-  
mine suo mortuis similia torpebant, aut  
ignauo quodam sopore elisa iacebant; ac-  
cedente dignitate exurgunt in herbam, in  
frutices, in arbores, in plenam patulamque  
vitam.

Ad omne Superioris vitium sua propius  
intueri. gratiora diligens seriusque disqui-  
sitor reperiet domi suæ: quæ fors si com-  
posuerit cum illius, festucas in illo, traves  
in se reperiet.

Statuat apud animum suum vnusquis-  
que in Superiore, quod ab alijs in re sua  
vellet. ignosci vitijs suis desiderat? eadem  
vtatur regula in Superiore: maxime cum  
maior dignitas ac potestas maiorem ma-  
lorum materiam suggerat. ferè enim plus  
potuisse, plus fecisse fuit.

Nisi apertissima in Superiore viderit,  
nunquam firmet iudicium, ac illa ipsa in  
benigniore semper partem interprete-  
tur. cum plurima in humanis occurrant  
prima fronte damnanda: quæ si penitus  
deposito in alterutram partem affectu in-  
trospiciantur, probanda non rarò erunt,  
aut sanè clementiore longè censura no-  
tanda;

tanda; si non crudè dicta factaque, sed auctoris mentem intueamur. quòd si res excusationem non admittat, ad humanam naturam pronam advitia decurrendum, & è nostra ad varios lapsus facilitate, aliquid indulgendum alijs: dignissimi futuri cui reliqui ignoscant, si nos erroribus ignoscamus aliorum.

In testatis Superiorum vitijs, ad Deum per frequentatas calidasque preces decurrendum, vltro neis etiam sibi irrogatis pœnis illi placendo, vt pulsus vitiorum errorumque tenebris, veris solidisque mentem illius virtutibus ornet illustretque, totumque hominem zizanijs in plenum radicitus euulsis, melioribus cæloque ac munere quod tuetur dignis instruat.

Cogitet deinde quanta Superior in illo perferat, quanta molli spongia eluat, quanta prudenti simulatione transeat, quanta leui manu tangat, quanta mitiget & eleuet; cùm hominibus imperare se sciat non angelis. maiore etiam facilitate in Superiore vtatur: cùm æquius sit filium parentum ignoscere erroribus, quàm parentes filiorum indulgere vitijs.

F I N I S.